



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

30 Innocentius IX. non solum confirmavit, sed etiam ampliavit dictam  
constitutionem Pij V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

7. ad Cerinth. cap. 4, 2. ad eisdem cap. 6. Et est caput Ecclesie, cap. non decet, 12, & cap. sacrosanctam, 22, distin. ac ditionum ad Romanam Ecclesiam pertinentium cultos, & administrator à Deo est constitutus, 1, ad Corinth. d. cap. 4. & Abb. in capitulo constitutus, num. 9, de re script. cum linea finita per mortem Alphonsi sine liberis, & descendantibus civitatis & Ducatus Ferrariae, illiusque Comitatus, ac aliarum civitates, & terrarum alias eidem, & suis prædecessoribus à Rom. Pont. in feudum concessæ, ad Romanam Ecclesiam, Sedemque, & Cameram Apostolicam, tam ex dictæ Constitutionis forma, & tenore, quam juris communis dispositione forent reversa, ac legitimè devoluta, & Cæsar Dux Mutinæ non esset in investituris comprehensus; quapropter non succedit, cap. unic. §. filia, in fin. de success. feud. cap. unic. in fine, de feud. march. & cap. unic. §. si enim Titij, de success. frat. civitatem, & Ducatum prædictum cum suis pertinentiis recuperavit, ut inferius dicitur.

29. Quamvis enim regulariter de jure bona Eccles. solita infeudari, postquam erant ad ipsam Ecclesiam reversa, aliis in feudum concedi possent, cap. 1, de ijs, qui feud. dar. poss. in principio, etiam sine aliqua solemnitate, Abb. in cap. ut super, num. 11, de reb. Eccles. non alien. & Clar. in §. feudum, qu. 13. vers. item quæro, lib. 4.

Hodie tamen jus hoc est correctum, 31 quod ad civitates, castra, terras, oppida, & loca Sedi Apostolicæ, tam mediata, quam immediata subjecta, quæ devoluta, & pro tempore devolvenda, absque alia ulteriori declaratione, & illorum

possessionis apprehensione eo ipso Sedi, & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad jus, proprietatem, & dominium pristinum, ac possessionem rediisse censentur; perinde ac, si per quadraginta annos, & ultra, civitates, & loca prædicta à Sede Apostolica immediate possessa, & nunquam in feudum, aut alium titulum concessa fuissent, ut in eadem Constitut. Pii V. ibi, hac nostra perpetua valitura, juncta declaratione Innocentij post princip. eadem constitutione, ibi, prohibitam fuisse, & prohiberi, omnem, & quamcunque infeudationem, ac alienationem civitatum, terrarum, oppidorum, & locorum Sedi Apostolicæ, tam mediata, quam immediata subjectorum, non solum ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, ac omnem, & quamcunque in perpetuum, vel ad tempus, prorogationem, ac extensionem infeudationum, investiturarum, & concessionum, de dictis civitatibus, terris, oppidis, & locis nondum finitarum, ipsorumque incorporationem, quod ad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extensionis hujusmodi, non à die eorum devolutionis, sed à die ipsius constitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipso jure cum omnibus clausulis, & decretis in prædicta constitutione contentis, Cameræ, & Sedi Apostolicæ factam censeri.

Et dictiones, de eo ipso, & ipso jure, ibi appositæ, sunt latæ sententiæ, l. fin. §. fin. verò postquam, C. de jur. deliber. cap. seculis, §. si qua verò, de penit. in 6. Et, quia Dux Mutinæ civitatem, & alia fortalicia ejusdem Ducatus militibus,